

QVÆST. V.

*An princeps Christianus, & vera Religioni ad-  
dictus plurium ac invicem dissidentium Re-  
ligionum libertatem subditis suis bona  
conscientia permittere  
possit?*

I. Magistratus ubi nec majorum suorum constitutionibus,  
nec grandis, & inevitabilis periculi metu impeditus, non potest diffi-  
dentium religionum libertatem permittere. (1.) Deus miscellam re-  
ligionem severè prohibuit, Deut. 13. v. 1.

(2.) Spiritus S. hanc tolerantiam quam maximè improbat, 2.  
Reg. 18. v. 21. quousque in duas partes claudicatis? &c. Apoc. 3. Scio,  
quia neque frigidus es, neque fervidus &c. Luc. 11. Qui non est me-  
cum, adversum me est, &c.

(3.) Pii semper averfati sunt falsam religionem. Ps. 139. v. 21. 22.  
Nonne eos, qui oderunt te, oderam, & super inimicos tuos contabesce-  
bam, Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi. Gal. 1. Si vel  
Angelus è cœlo annunciet aliud Evangelium, anathema sit. c. 5. Uti-  
nam excendantur, qui vos conturbant.

II. Disertè autem diximus, aliquando impediri Magistratum  
aut publicis Regni constitutionibus, aut impendentis mali maximi, &  
planè inevitabilis periculo, quo minus liberet regnum suum ab hete-  
rodoxa doctrina. In quibus casibus Magistratus potest tolerare mi-  
scellam religionem bona cum conscientia. Sic David, quanquam  
juratissimus hostis falsæ religionis, tamen Philistæis, Ammonitis,  
Syris, Damascenis, liberum suæ religionis exercitium permisit, 2. Sam.  
8. aliàs pacem Ecclesiæ turbasset, & occasionem defectionis infideli-  
bus præbuisset, multi etiam hâc tolerantia, ad Ecclesiam transierunt, &  
profelyti facti sunt. Nebucadnezar quoque ad Deum Danielis con-  
versus non adegit subditos ad amplectendum hanc religionem, sed  
avitæ religionis libertatem illis concessit, Dan. 3. v. 29.

PPPPP ;

Et con;